



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

1750

De Theologicis Disciplinis Liber Quintus In quo disseritur cur Dei voluntas
dicatur ab Apostolo bona, beneplacens & perfecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83620)

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER QUINTUS

*In quo differitur cur Dei voluntas dicatur ab Apostolo bona,
beneplacens & perfecta,*

Cur Dei Vo-
luntas dica-
tur bona,
benepla-
cens, & per-
fecta,



DROPOSITUM est hoc libro de Divina Voluntate differere: de qua pertractatis iis, quæ ad prædeterminationes secundarum causarum spectant, & quæ potissimum in hoc argumento ingenia exercent Scholasticorum, minus proluxa superest disputatio. Ergo videndum primo quomodo hæc Dei voluntas sit *bona ac beneplacens*, id

est, non delectetur morte peccatoris, neque ulla sint opera manuum suarum, quæ despiciat, & in quibus perpeti providoque regimine ordinem rectum fixumque non servet. De *perfectione* quoque Voluntatis, quæ est persistens cum immutabilitate libertas, agendum erit. Atque ita fiet, ut paucis liber iste absolvatur: nam de Divino erga electos beneplacito, in libro, qui ad istum consequetur, paulo operosior instituenda erit dissertatio.

CAPUT I.

An Divinum beneplacitum erga singulorum hominum salutem versetur?

SUMMARIUM.

1. Datur in Deo voluntas.
2. De objecto D. voluntatis terminativo, ac motivo, & de objecto Eiusdem terminativo materiali, & secundario.
3. 4. 5. 6. 7. Ex diverso respectu varia Divinæ voluntatis partitio.

8. 9. 10. 11. 12. Deus voluntate antecedenti vult omnes homines, nemine prorsus excepto, salvari.
13. 14. 15. Hæc voluntas salvandi omnes est in Deo vera, propria, atque sincera.
16. & seqq. Refutatio objectionum.

1.
Datur in
Deo volun-
tas.

DARI in Deo Voluntatem constat Theologorum omnium consensione: non enim hanc negare potest, quisquis cœlestem Patrem quotidie orat, dicens: *Fiat voluntas tua*: aut eundem cum Psalmista adloquitur, Ps. 113. v. 10. *Super misericordia tua & veritate tua: nequando dicant Gentes: Ubi est Deus eorum? Deus autem noster in celo, omnia quæcunque voluit, fecit.* Consequitur R. P. Berti Theol. Tom. I.

autem voluntas natura sua intellectio- nem: neque aliud est, quam in aliquod objectum conjuncta cum perceptione propensio. Quisquis ergo substantiam absque voluntatis potentia persistentem excogitet, is non Deum percipiet, sed rem corpoream spiritu ac ratione ca- rentem. Ex his vero, quæ diximus de Divina simplicitate, compertum est Dei substantiam, intelligentiam, ac volun-
H h 2

tatem

ratem nullatenus ab invicem discrepare, diversamque cum nominum, tum idearum fortiri rationem, cum ad plures terminos comparantur. Quod enim de sapientia dictum est supra, debemus affirmare, ut scribit Augustinus in v. de de Trinitate cap. x. *De omnibus omnino, quæ de Deo possunt prænunciari.*

2.
De objecto
voluntatis.

Quoniam ergo voluntas dicitur comparative ad bonum, atque ipsamet Dei substantia bonum est per se subsistens, & per se diligendum, cetera vero omnia bona sunt quadam participatione ac dependentia: certum omnino est solam bonitatem Divinam esse voluntatis Dei objectum *terminativum* ac *motivum*, & bonitatem creaturarum objectum, ut vocant, *terminativum materiale*, atque *secundarium*. Quæ cum sola vocabulorum explicatione facillime intelligantur; sufficit præfatas dictiones enunciasse.

3.
Varia D. Vol-
untatis par-
titiō.

Ex diverso quoque respectu varia emerit in Scholis Divinæ voluntatis partitio. Alia enim est voluntas *signi*, alia *beneplaciti*: illa est manifestatio aut declaratio exterior, qua Deus nobis significat se aliquid velle; hæc vero est ipsamet interior volitio aliquid tanquam sibi gratum decernens. Porro signa voluntatis Divinæ sunt præceptum aliquid jubens, aut prohibens, consilium, permissio, & operatio. Hanc voluntatem improprie & metaphorice dici est manifestum; nam voluntas est actus immanens, signum vero externa manifestatio. Quemadmodum ergo exterior pronuntiatio verborum non est intima mentis contemplatio, sed signum ejusdem, ita præceptum, divinumque consilium sunt duntaxat interioris voluntatis significationes, non ipsamet latens atque interna volitio. Signa vero, quæ nobis Deus exhibet, cum falsa nequeant esse, semper internam aliquam voluntatem supponunt: at non semper illam, quam nos ex primo signi contuitu possumus conicere. Ita cum Deus præcepit Abrahamo immolationem Isaac, apparebat hoc signo velle Deum mortem ipsius, sed intendebat solummodo experiri fidem & obedientiam Abrahami, & promissi Reparatoris atque Unigeniti sui præsignare crucifixionem. Ita permissiones peccatorum latentis alicujus consilii certissima signa sunt, sed nunquam mortis atque interitus peccatoris, quum velit misericordissimus pater, ut convertatur & vivat. Eapropter cum docent Theologi voluntatem *signi* sæpenumero non impleri, hoc sensu debent intelligi, quod non semper

ea complentur, quæ nos arbitramur hisce signis subesse: sed aliquando alia eveniunt longe præstantiora; quorum causa Deus præscius futurorum præcedentia signa præmiserat. Atque hæc de voluntate, quam *signi* appellant.

At voluntatem beneplaciti, de qua exquisitior habenda est disceptatio, dividunt Theologi in *antecedentem*, & *consequentem*. Fautores Scientiæ mediæ voluntatem antecedentem illam dicunt, quæ antecedit voluntatis humanæ consensum, ejusque præscientiam: consequentem econtra, quæ talem consensum consequitur. At nos, qui totis laertis contendimus dari absolutam voluntatem aliquos salvandi ante prævisa merita, & independentem à voluntatis humanæ prævisione, non possumus in hoc statu illam probare sententiam, neque futurum credere bonæ voluntatis actum aliquem, ante Divinum liberalissimum beneplacitum, quo præparetur ipsa bona voluntas à Domino. Itaque voluntatem antecedentem Thomistæ illam dicunt, quæ connotat homines secundum se spectatos, ut conditos ad imaginem ac similitudinem Dei, & pretio passionis Christi redemptos: & voluntatem consequentem illam, quæ comparatur ad creaturas rationales in certis constitutas circumstantiis, quibus spectatis vult Deus aliquid simpliciter & absolute. Quemadmodum ergo iustissimus princeps vult omnium civium ac totius Reipublicæ incolumitatem ac vitam, & mercator mercimoniorum suorum conservationem; & ille tamen furem & homicidam damnat mortis, is vero tempestate jactatus arcas mercesque projicit in mare: ita Deus quemque ad salutem invitat, & tota die expandit manus suas ad populum contradicentem, ut omnes ad illum accedant, capiantque hereditatem salutis; sed quosdam sceleribus inquinatos, propter gloriam justitiæ suæ, rejicit, reprobaturque. Quibus exemplis utitur D. Thomas i. p. q. xix. art. 6.

Nos, non repudiata hac Thomistarum doctrina, cum sit hæc duplex hominum consideratio, secundum se, & in genere, atque in certis quibusdam circumstantiis, distinctio rationis nostræ, cumque vere ac proprie, & præcisa etiam consideratione mentis humanæ Deus sincere voluntate antecedenti velit omnium hominum salutem, duo alia connotata paululum diversa spectamus, unde sumitur duplicis voluntatis, antecedentis & consequentis distinctio. Attendendus est ergo ordo à Deo impositus,

4.
De Volun-
tate benepla-
citi.

5.
Distinctio
voluntatis
antecedentis,
& consequentis.

tus; in quo omnes homines tam iusti, quam impii, donec vivunt, in via, qua ad salutem pervenire possunt, collocantur; omnes jus habent accedendi ad Ecclesiam, petendi Sacramenta, & obtinendi gratiam, quam hæc efficiunt: omnibus prædicatum est Evangelium, exhibita misericordia, præparata divinorum beneficiorum munera: pro omnibus Christus abunde comulateque satisfecit, & pretium redemptionis exhibuit, *non solum pro peccatoribus passus*, (ut ait Catech. Rom. p. p. cap. 5. n. 11.) *sed etiam pro illis, qui peccatorum omnium quas pertulit, auctores, & ministri fuerunt.* Hujus ordinis impositio est obiectum voluntatis antecedentis; unde Janseniani, alique hæretici, qui affirmant neque Ecclesiam pro omnibus institutam esse, neque pro omnibus oblatam passionem Christi, neque pro omnibus satisfactum, nefarie impieque negant Deum velle omnium salutem antecedenti voluntate. Deinde attendendum est hujus impositi ordinis complementum & executio, qua hominum plurimi perducuntur ad salutis terminum, accipiunt donum perseverantiae, percipiuntque reapse fructus passionis Christi: de quibus præfatus Catechismus Rom. P. 2. cap. 4. n. 24. inquit: *Si vero fructum, quem homines ex eo perceperint cogitemus, non ad omnes, sed ad multos tantum eam utilitatem pervenire facile intelligemus.* Atque secundum hanc postremam rationem non pro universis, sed pro multis suum fuisse sanguinem, & rogasse Christum Catechismus ipse declarat. Igitur voluntatem antecedentem illam dicimus esse, quæ spectat ad ordinis impositionem; & consequentem eam, quæ executionem respicit hujus ordinis: utramque vero esse voluntatem beneplaciti, & effectum sortiri, ad quem primario ordinatur.

6. Pluribus vocabulis hanc duplicem voluntatem veteres designarunt. Tradidit voluntatis utriusque discrimen Damasc. lib. II. de Fide Orthodox. cap. XXIX. his verbis: *Voluntas antecedens est, quod quis à seipso vult. Consequens, quod ex eorum qua sunt causa proficiscitur.* Nam præcedente voluntate vult Deus omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire: verum nobis peccantibus vult nos castigari prout con-
ducit. Ibidem appellat Damascenus voluntatem antecedentem voluntatem bonitatis, consequentem vero voluntatem justitiæ. Beatus Prosper in fine Respons. ad Ob. Vincent. priorem voluntatem

vocat *invitantem*, alteram *judicantem*. S. Anselmus in cap. VI. Matth. primam nominat *voluntatem misericordiae* & de rerum possibilitate: secundam *voluntatem justitiæ*, & de effectibus rerum. Itaque voluntas antecedens, bonitatis, misericordiae, & possibilitatis rerum efficit ut omnes salvari possint, & constituantur in via salutis, eamque consequantur, si velint. Voluntas consequens, justitiæ, & de rerum effectibus præstat, ut omnes re ipsa salventur, & ponantur in termino salutis. Hæc Patres: in quibus animadvertendum est, voluntatem consequentem dici voluntatem *justitiæ* comparate ad iudicium ac retributionem; nam quatenus electis suis media elargitur particularium gratiarum, etiam voluntas consequens & effectrix appellanda est voluntas misericordiae.

Quod nunc quaritur est, num detur in Deo voluntas antecedens salvandi omnes, nam de voluntate sequenti manifestum est in ea singulos non comprehendendi. Videndum etiam, an hæc voluntas antecedens in Deo sit vere ac proprie, an vero metaphorice tantum, quemadmodum est in Deo ira, pœnitudo, commiseratio. Negant primum Jansenius, Quenellus, Trickius, & ejusmodi pestes, qui contendunt, omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvari infallibiliter, quod damnatum est in Propositione xxx. Paschassi Quenelli: & consequenter docent, velle Deum salvos fieri solos prædestinatos, atque pro istorum salute tantum fuisse Redemptorem suffixum cruci. Negant voluntatem antecedentem proprie in Deo esse Thomistæ præclarissimi, Banez, Zumel, Bancel; quibus subscribunt Sylvius & Estius, necnon ex nostris Basilius Legionensis, Florez, & alii contra longe plures, quos tamen ego arbitror posse facili negotio simul conciliari.

PROPOSITIO I. Deus voluntate antecedenti vult omnes homines, nemine prorsus excepto, salvari.

Demonstratur hæc propositio I. Divinarum Scripturarum auctoritate. Nam illam beneficam voluntatem Dei testatur Ezech. XXXIII. 32. his verbis: *Quare moriemini domus Israël? dicit Dominus. Vivo ego. Nolo mortem impii, sed ut convertatur, & vivat.* Quibus verbis Deus non contentus dixisse se velle impiorum conversionem, id etiam juramento confirmat. Istud vero quantum nos reddat de Divina voluntate certiores colligitur ex Tertulliano lib. de Pœnit. cap. IV. ex Hieronymo Epist.

7. Num detur in Deo voluntas antecedens salvandi omnes.

8. Propositio I.

Probatur I. ex SS. Scriptura.

xlvi. imo ex eodem Apostolo ad Hebræos cap. vi. 16. dicente: *Homines enim per maiorem sui jurant: & omnes controversia eorum finis, ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationem hereditibus immobilitatem consilii sui interposuit iusjurandum.* In quo enim possumus propositam spem continere, si neque firmam anchoram habeamus verbum Dei, & immobile ipsius iusjurandum? Rursus idem Apostolus in 1. ad Timoth. ii. ait: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. . . . Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus: unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Atqui pro omnibus orandum est, ac pro omnibus passus est Christus, nemine prorsus excepto: Igitur & omnes homines, nemine excluso, vult Deus salvos fieri: alias inepta foret, & minus cohereret Apostolica exhortatio. Hinc S. Prosper ad 2. object. Vincentianam, quæ huiusmodi est: *Quod Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint: respondet: Remota discretione, quam Divina scientia intra secretum justitiæ suæ continet, sincerissime credendum atque prostandum est, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant: siquidem Apostolus, cuius ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur, ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum.*

7.
Responsio
Janseniano-
rum.

Respondent Janseniani productum Pauli testimonium referri ad homines status innocentiae, non vero ad illos, quos originalis culpa devinxit. Quod ostendi potest etiam ex idea voluntatis antecedentis, quam supra tradidimus ex Thomistis: hæc enim respicit rationalem creaturam secundum se, & abstrahendo à superinductis circumstantiis peccati. Ubi ergo originalis culpa superponitur, voluntas antecedens non habet locum.

Solutio 1. At inanis profecto elusio. Nam in primis Apostolus de his loquitur, pro quibus affirmat orandum esse: At præcepit ut oremus pro omnibus, etiam reprobis improbis, quales tunc orbi terrarum dominabantur, & quos specialiter ibi commemorat: Ergo ad omnes

homines Apostolica spectat sententia. Imo quemadmodum prior ille status innocentiae primi parentis peccato deperiit: ita nos beatus Apostolus non hortatur, ut pro hominibus status innocentiae Deum exoremus: sed nostras præscribit supplicationes pro iis, quorum & vitata est natura, & facilis est interitus, possibilis tamen Deo miserrante conversio. Præterea Apostolus addit Christi mediationem, ac redemptionem. Omnes ergo, quicunque Redempti sunt, sub illa generali voluntate certissime comprehenduntur. Neque obstat, quod in hoc statu superinductæ sint circumstantiæ originalis peccati; tum quia etiam originali culpa, imo & actuali quacunque posita, spectant viatores omnes ad ordinis impositionem superius declaratam: tum etiam quoniam passione Christi prioris damnationis chiographum deletum est, ac propterea subsistit adhuc generalis illa voluntas intuitu meritum Christi: per quem *regenerati sumus in spem vivam*, quemadmodum testatur Apostolus.

Hinc validissime probatur propositio ex quo Christus pro omnibus hominibus mortem subiecit. Id in libro de Hæresi Janseniana adversus quintam propositionem sumus demonstraturi. Nunc satis est Jansenii dogma brevissime refutare. Ac primo opponitur allato Pauli testimonio: *Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus:* quod de solis prædestinatis non potest intelligi; quum nos hortetur Apostolus, ut nuper diximus, ad orandum pro omnibus, etiam reprobis ac perditissimis. Rursus idem Apostolus 2. ad Corinth. cap. 5. v. 14. *Si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Probatur hoc Pauli testimonio omnes Adæ posteros originalem culpam contrahere, ut constat ex lib. vi. Augustini contra Julianum cap. 4. & ex xx. de civit. Dei cap. 6. Igitur sicuti omnes in Adam mortui sunt, ita Christus pro omnibus mortuus est. Atqui in Adam mortui sunt omnes: Ergo pro omnibus omnino mortuus est Christus. Verum de hac gravissima controversia citato loco accuratius.

Possumus generalem illam voluntatem salvandi omnes auctoritate quoque Patrum corroborare. Nam D. Basiliius Hom. in Psalm. xxix. *Pena, inquit secundum Dei iudicium; vita vero est, quam ille vult. Quid ergo dicit? nempe velle hoc Deum, suæ ut vitæ participes omnes fiant.* Macarius Hom. 26. Dominus

10.
Solutio 2.

11.
Probatur 2.
ex Ss. Patribus.

minus in benignitatem, & misericordiam compositus unice desiderat quod toti prorsus ad eum convertamur, ab omni contrarietate nos eripientes. Chrysostomus in 1. ad Timotheum cap. 2. *Imitare Deum tuum: si enim ille omnes vult salvos fieri, merito pro omnibus oportet orare: si omnes ille vult salvos fieri, velis & tu: si & tu vis, ora pro iis.* Ambrosius lib. iii. de Interpellat. David. cap. 2. *Pulchre itaque Apostolus, ut præmissimus, explanavit quia & omnibus bonus est Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, &c.* Prosperum paulo superius laudavimus: & de S. P. Augustino dicendum est infra responsi. ad I. Adde Concilium Arelatense tertium, Moguntinum, Valentinum, & Carificum: Theologos quoque celeberrimos cujusque ordinis, atque ætatis: quorum consensus invictum suppeditat argumentum.

12. **Probatur 3.** ratione. Ex dictis eruitur quoque validissima ratio. Tenemur quippe omnes orare pro singulis, petere ac sperare regnum cælorum, ac Redemptorem nostrum ardentissima charitate diligere, propterea quod nos à perditione per mortem suam atrocissimam liberavit: Atqui tanta spei, & charitatis motiva prorsus evanescerent, si nos pulsare posset suspicio, quod Divinum beneplacitum non se extendere ad omnium hominum salutem: Ergo, &c.

13. **Propositiō 2.** Hæc voluntas salvandi omnes est in Deo vera, propria, atque sincera.

Probatur. Sequitur ex dictis, & brevissime confirmatur. I. Quidquid sacræ literæ de Deo affirmant, si maxime deceat ipsius bonitatem, misericordiam, ac providentiam, qua rationales creaturas dirigit in viam salutis; id absque ulla hæsitatiōe est asserendum de ipso Deo: Atqui in sacris libris legitur velle Deum, ut omnes homines salvi fiant; id vero magnopere decet infinitam ipsius charitatem, & directionem creaturarum in finem ultimum: Igitur absque ulla hæsitatiōe asserendum est, Deum proprie ac sincerissime velle salutem omnium. II. Voluntās antecedens dicitur comparative ad institutionem mediorum, quibus omnes salvari possunt: Hoc autem est aliquod vere bonum, quod est objectum voluntatis sinceræ ac propriæ: Ergo est in Deo sincera ac propria voluntas illa antecedens salvandi omnes. III. Vere Deus omnes ad agnitionem veritatis invitat, omnibus, si velint, Ecclesiæ Sacramenta dispensat, pro omni-

bus redemptionem dedit Unigenitum suum. Hæc sunt signa beneficentissimæ Dei voluntatis. Atqui istiusmodi signis non subest certa, & absoluta voluntas omnes efficaciter perducendi ad consecutionem salutis. Subest ergo saltem voluntas generalis, & antecedens, quæ versatur circa salutis possibilitatem, in qua singuli comprehenduntur.

Verum quidem est, complures Theologos affirmare voluntatem antecedentem, non esse in Deo propriam, quod S. Thomas scribat esse voluntatem inefficacem, conditionatam, ac suspensam; eamque 1. P. q. XIX. art. 6. ad 1. appellat *velleitatem* potius, quam voluntatem; quoniam non semper impletur: cum econtra illud semper compleatur, quod Deus vult *simpliciter*. Atque hinc est, quod Paulus Irenæus, alique Janseniani dogmatis fautores à celeberrimis Theologis jactant se minime dissentire.

At pessime novæ hæreseos patroni aberrant. Scholasticorum enim dissidium facile componitur, atque à Pseudoaugustinianis illis toto distat calo. Distinguendus est enim duplex Divinæ voluntatis effectus. Unus est rationalem creaturam ad finem supernaturalem ordinare, eamque in via locare salutis, necnon ei parare, exhibere, conferre quoque, nisi ea detrectet, auxilia gratiæ sufficientia. Alter effectus est creaturam rationalem ad salutem perducere, illam in termino collocare, & præter communia gratiarum dona, eidem specialissima & efficacia, etiam finalis perseverantiæ, largiri. Horum diversitatem effectuum ex antiquioribus tradiderunt Aegidius Romanus in 1. dist. 46. q. 1. & Scotus, ac beatus Bonaventura eodem loco: ex recentioribus vero Bernardus Desirant lib. xxx. Aug. Vindicati, & alii quamplurimi. Dum ergo Theologi aliqui asserunt voluntatem antecedentem in Deo esse metaphorice, id Catholico sensu pronuntiant. Ac primo, cum nulla sit intrinseca Deo distinctio, negant esse in Deo antecedentem voluntatem distinctam à consequente, quod totum discrimen petendum sit ex parte *volitorum*, ut inquit Durandus Quæst. 3. distinct. 47. Deinde si compareretur voluntas Dei antecedens ad actualem gloriæ consecutionem, atque ad seriem auxiliorum, quibus ad salutis terminum perducuntur electi, manifestum est hanc voluntatem in Deo non esse propriam ac veram, neque semper impleri; quoniam reapse non omnes electi

14. Oblocutio

15. Responsio

electi sunt, neque omnibus vult Deus talia media impertiri, quæ certissime cooperante libero arbitrio ad salutem perducant. Sed impletur tamen in aliquo ordine, & semper effectum proprium & immediatum consequitur; primum scilicet, qui est ordinare creaturam in suum finem, eamque in viâ constituere salutis. Quæ doctrina Catholica est, vera; & ab omnibus, si Molinianos excipias, summa consensione defenditur. Jansenius vero voluntatem hanc generalem à statu naturæ lapsæ procul ablegat, nullam gratiam admittit, cui liberum arbitrium resistat, nullam sinceram voluntatem salvandi nisi prædestinatos, nullum præter electos à Christo Reparatore redemptum, & licet aliquando ad palliandum dogma perveritatis Veterum usurpet verba, longe tamen ab eorum sensu recedit. Ita voluntatem Dei antecedentem, quam inculpate Veteres improprie ac metaphoricam appellaverunt, propterea quod illam comparaverint cum actuali consecutione salutis: adversus Jansenistarum cavillationes nos sinceram verissimamque esse contendimus, sed illam explicandam esse censemus connotative ad generalem ordinem creaturarum, non ad qualescunque rerum circumstantias: alioquin nullum foret discrimen inter duplicem Dei voluntatem, quod nemo consentit.

eorum, quæ obijciuntur, refutatio.

16.
Objectio 1.

Opp. 1. Exponere Apostolicam sententiam *Deus vult omnes homines salvos fieri*, de generali voluntate antecedenti, in qua singuli homines complectantur, est falsa interpretatio, quam S. P. Augustinus rejicit tanquam doctrinæ prædestinationis & gratiæ hujus status apertissime repugnantem. Ergo & rejicienda est ab Augustini discipulis ejusmodi commentatio. Prob. ant. Quadriariam sanctissimus Antistes sententiam interpretatus est Apostolicam. Primum, ut dicatur Deus velle omnes salvos fieri, quia nullus fit salvus, nisi Deo volente ac prædestinante, quemadmodum de Ludimagistro dicimus: *Omnes pueros literas docet*, non quod gymnasium frequentent omnes omnino pueri; sed quia illo uno Magistro proficiunt quotquot literis impendunt operam. Ita S. P. Epist. ad Vitalem, in Enchirid. ad Laur. cap. cii. lib. de Prædest. SS. cap. vii. de Corrept. & Gratia cap. xiv. & lib. iv.

contra Julianum cap. viii. Altera Augustiniana interpretatio est, ut omnes accipiantur distributive, & pro *generibus singulorum*, quomodo dicitur omne animal fuisse in arca Noë, id est, animal cujuscunque speciei; itaut sententia sit, Deum velle salvos fieri nonnullos ex omni genere & conditione, Judæos, Græcos, pueros, adultos, divites, pauperes, &c. Ita S. P. in Enchirid. cap. ciii. de Corrept. & Gratia cap. xiv. necnon Fulgentius, Anselmus, Beda, aliique. Tertia expositio est, ut asseratur velle Deum omnes salvari, quoniam *nos facit velle*: Nam sicut clamantem Spiritum, ad Romanos viii. recte dixit Scriptura, à quo efficitur ut clamemus; ita recte dicimus volentem Deum, à quo efficitur ut velimus. Ita S. P. de Corrept. & Gratia cap. xv. & lib. xxi. de civit. Dei cap. i. Neque solum efficit Deus, ut electi velint salvari, sed etiam ut pii homines magnopere desiderent omnium salutem, tametsi non omnes salvari velint, ut animadvertit ex Augustino Estius dist. xlv. §. iv. & Sylvius quæst. xix. art. 6. Postrema expositio est; Deum contulisse humano generi in universum auxilia quamplurima externa, quibus suam pro omnium salute curam ac sollicitudinem significavit, nimirum legem omnium menti inscriptam, exemplum ac redemptionem Christi, prædicationem Apostolorum, orationes Ecclesiæ, Sanctorum virorum merita ac labores, &c. Quam interpretationem assertit fidelissimus Augustini Discipulus Prosper in Resp. ad 1. & 2. Ob. Vincent. Hæc omnia interpretamenta excludunt à Deo voluntatem antecedentem salvandi omnes, & admittunt duntaxat voluntatem consequentem pro electis, pro cæteris autem voluntatem *signi*, ac metaphoricam. Ergo juxta Augustini doctrinam non videtur generalis illa propria ac vera voluntas admittenda.

Resp. Vasquesius 1. p. disp. 83. cap. 2. beatissimum Patrem locum Pauli nullo ex illis modis recte exposuisse, & noluisse concedere voluntatem Dei antecedentem circa omnium salutem. Sed stant adversus Vasquesium Theologi præstantissimi, qui præfatas expositiones summo opere commendant, & cæteris quoque præferunt, S. Thomas q. xix. art. 6. Estius dist. 46. §. iv. Sylvius q. 3. ad præcit. artic. beati Thomæ, S. Anselmus & Beda apud Gerardum Vossium lib. vii. Hist. Pelag. parte 1. Thesi 2. ut

Solutio.

ut prætermittam clarissimos Thomistas, & Augustinianos universos. Itaque respondendum est, allatas Augustini interpretationes, nequaquam cum voluntate antecedenti circa omnium salutem pugnare. Nam S. Pater de voluntate consequenti, absoluta, efficaci, & quæ est de rerum effectibus, non de antecedenti, quæ spectat homines in universum, accipiendus est. Ac primo id præmonuit Sanctus Thomas in 1. dist. 46. q. 1. art. 1. Deinde hæc eadem Vasquesii impostura post obitum S. Patris in Galliis spargi cœpit; eique occurrit beatus Prosper in Præfat. Resp. ad Object. Vincent. dicens: *Contextunt ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo.* In illo vero prodigiosorum mendaciorum indiculo, secunda contra Augustinianam doctrinam objectio erat: *Quod Deus nolit omnes salvare: & consequenter Vasquesius ineptissimas Semipelagianorum querimonias ingeminat.* Præterea Augustinus acerrime in libris laudatis propugnabat prædestinationem & gratiam, necnon voluntatem Dei trahentem validiori gratiæ adjumento unum præ alio, quod Pelagiani negabant, ideoque de voluntate efficiente & absoluta erat ei specialiter pertractandum. Rursus S. P. voluntatem antecedentem salvandi omnes apertissime admittit lib. de Spiritu & lit. ad Marcellinum cap. xxxiii. ubi hanc proponit quæstionem: *Si voluntate quærimus, de hac quæritur unde sit. Si natura, cur non omnibus, cum sit idem Deus omnium creator. Si dono Dei, etiam hoc, quare non omnibus, cum omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire?* Ad istam vero quæstionem sic respondet: *Vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes iustissime judicentur.* Quod cum sit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vincetur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo posset evadere, quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, v. g. volo ut hi omnes servi mei operentur in vinea, &

R. P. Berti Theol. Tom. I.

post laborem requiescentes epulentur, ita, ut quisquis eorum hoc noluerit, in pisirino semper molat; videtur quidem quicunque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere: sed tunc eam vincet, si & pisirinum contemnens effugerit: quod nullo modo fieri potest sub Dei voluntate. His verbis, exemplisque satis liquet non rejici à S. Protoparente Augustino antecedentem voluntatem salvandi omnes, & interpretationes supra recensitas de voluntate efficaci & absoluta accipiendas esse, quam præsertim nolebant admittere Pelagiani.

Opp. 2. Antiquiores Augustini Discipuli, & qui fideiiores habentur ejusdem Affeclæ, nullam in Deo voluntatem agnoscunt, nisi Divinum erga prædestinatos beneplacitum. Fictitia est ergo voluntas antecedens salvandi omnes. Prob. ant. Auctor Hypognost. lib. vi. cap. ult. *Omne, inquit, quod Deus vult facere, potest, nec prorsus humana voluntate præpeditur, quod vult.* S. Fulgentius lib. de Incarnat. cap. xxxi. *Omnes ergo, quos Deus vult salvos fieri, sine dubitatione salvantur: nec possunt salvari, nisi quos Deus vult salvos fieri: nec est quisquam, quem Deus salvari velit, & non salvetur; quia Deus noster omnia, quacunque voluit, fecit.* S. Prosper Carmine de Ingr. cap. 16.

At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,

Ista suum consummat opus; cui tempus agendi

Semper adest, quæ gesta velit; non moribus illi

Fit mora; non causis anceps suspenditur ullis.

Quibus docet, nullam esse in Deo voluntatem, quæ suspensa sit, neque adimpleatur; qualis est antecedens, conditionata, & inefficax. Patres denique Africani in Sardiniam relegati Epistola Synodica cap. xiv. *Omnes, inquit, prædestinati ipsi sunt, quos Deus vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque sexu ex omni hominum genere, gradu, & conditione salvantur.* Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur, quin potestas ejus nullatenus vincitur. Fideiiores ergo Augustini discipuli voluntatem salvandi omnes ad solos referunt prædestinatos.

Resp. dist. ant. Fideiiores Augustiniani doctrinæ sectatores nullam in Deo voluntatem salvandi profitentur, nisi respectu prædestinatorum, & loquuntur de voluntate consequente, & quæ est de rerum effectū, conc. de volunta-

te antecedente, & quæ est de rerum possibilitate, nego. Prædictos Patres de voluntate consequente verba facere, liquet primum ex eorum scopo, & ex argumento quod tractant: quum toti sint in vindicanda adversus Pelagianos, horumque reliquias discretione rejiciendorum, atque eligendorum, præparationemque gratiarum, non qualiūcunque, sed quas Deus juxta propositum voluntatis suæ impertitur electis. Id namque obrectatores Augustinianæ doctrinæ negabant pugnaciter. Præterea horum Patrum sensus haud obscure ex recensitis libris, locisqueprehenditur. Etenim Auctor Hypognost. loquitur de voluntate salvandifinaliter, id est perducendi reipsa prædestinatos ad salutis consecutionem, ac terminum, ut ex sola lectione capitis ultimi manifeste colligitur. De hac eadem voluntate accipiendum esse beatum Fulgentium, quæ subsequuntur verba liquido manifestant. Nam scribit: *Ipse prædestinando præparavit gratiæ donum, qui gratiam donando implet prædestinationis effectum.* S. Prosperum loqui de voluntate absoluta, quæ suum consummat opus, & ex his carminibus eruitur, & ex Respons. ad 2. Ob. Vincent. de qua supra. Afros quoque Patres de consecutione salutis, non de ejusdem initio disputare ex eo constat, quod in laudata Epistola de Prædestinatione secundum Dei propositum agere instituant. Sed vide Desirantium lib. Aug. Vindicat. xii.

18.
Objectio 3.

Opp. 3. Omnis Dei voluntas impletur; dicitur enim in Psal. 134. v. 6. *Omnia quæcunque voluit, fecit in celo, & in terra:* & cap. 46. Isaia v. 10. *Omnis voluntas mea fiet;* Atqui voluntas antecedens non impletur: Ergo voluntas antecedens in Deo minime reperitur.

Solutio.

Resp. 1. dist. min. Voluntas antecedens non impletur quantum ad effectum sibi proprium, qui est omnes in via constituere salutis, ac singulis præparare & exhibere auxilia communia, quibus consequi possunt salutem, si velint; nego: non impletur quantum ad effectum voluntatis consequentis, qui est perducere ad terminum salutis, & largiri specialissima gratiarum dona, quibus salus certissime comparetur, concedo. Resp. 2. dist. majorem: Omnis Dei voluntas impletur, si absoluta sit, & consequens, concedo; Si conditionata, & antecedens, subdistinguo: non impletur in individuo, & in singulis hominibus inspectis secundum peccato-

rum circumstantias, ipsomet Deo ita volente ac disponente in gloriam gratiæ, & manifestationem justitiæ suæ, concedo: non impletur comparate ad creaturas rationales spectatas secundum se in universum, & abstractivè à superinductis peccatorum circumstantiis, volente Deo creaturarum suarum perditionem, nego. Utraque responsio constat ex dictis, sed prior cum tradita à nobis notione voluntatis antecedentis magis coheret.

19.
Instantia.

Insistes: Si voluntas antecedens duntaxat connotative ad creaturam rationalem abstractivè ab individuis aliqua circumstantia affectis; Ergo Deus voluntate antecedenti dicendus erit velle salutem etiam damnatorum hominum, ac dæmonum, neque minorem habebit curam reproborum adhuc permanentium in via, quam dæmonum ac damnatorum.

Responsio.

Resp. transmissio antec. nego consequentiam; quum enim effectus voluntatis antecedentis sit locare rationales creaturas in via salutis, eisque communia gratiarum dona parare, ut valeant æternam sibi promereri beatitudinem, donec liberi arbitrii facultate ad bonum, malumve uti possunt: non potest ad hanc voluntatem pertinere quisquis jam constitutus in termino, neque merendi pollet libertate, neque piorum oratione juvatur, neque ulla interiori gratia excitatur, æque aliquid experiri potest divini beneplaciti beneficium.

20.
Objectio 4.

Opp. 4. Non est voluntas antecedens propria ac sincera, quæ conjungitur cum voluntate consequente illi opposita: Voluntati salvandi omnes opponitur voluntas consequens damnandi quamplurimos: Igitur voluntas antecedens salvandi omnes in Deo propria, ac sincera non est. Prob. ma. Si enim in potestate esset mercatoris motus fluctus componere ac tempestatem sedare, & nihilominus in mare merces proficeret; hæc voluntas consequens & efficax qua projicit merces evidentissime ostenderet non fuisse in eo sinceram, propriamque voluntatem merces conservandi. Cum ergo Deus possit omnes salvare; si plures damnat ac reprobant, manifesto ex hac damnandi, ac reprobandi voluntate infertur, illam, quæ versatur circa omnium salutem, in Deo propriam sinceramque non esse.

Solutio.

Resp. dist. majorem: Si utraque voluntas antecedens & consequens connotent eundem finem, idemque objectum, conc. Si diversum, nego. Mercator, cum particularis persona sit, unum

cum sibi finem præfigit, nimirum negotiationem ac lucrum; & comparate ad finem unum, non datur duplex voluntas opposita, sed unica. At Deus universalis rerum omnium provisor, ac rector non solum voluntate sua locat omnes in via salutis dum vivunt, & vult illos ad impositum ordinem pertinere, verum etiam illud definit, quod efflagitat particularis singularum rerum conditio, & impositi ordinis executio. Respicit ergo voluntate antecedenti rationalem creaturam universim, eamque visceribus misericordiae & charitatis complectitur: consequenti vero hæc, vel illa individua, quæ meritorum maiorum præscientia damnat ad ostensionem iustitiæ. Quum ergo in Divina voluntate duplex sit connotatio, ac duplex finis; non implicat voluntatem antecedentem & consequentem invicem esse contrarias; sive, ut loquar rectius, unam eandemque voluntatem, si ad diversa referatur connotata, aliquam dicere oppositionem; quæ, cum sit ex parte terminorum, nullam potest in Deo evincere discrepantiam.

21.
Objectio 5.

Opp. 5. Ideo iudex voluntate antecedenti vult omnium civium incolumitatem, quoniam non intueatur futuram aliquorum flagitiosissimam conversationem, quos de patrato scelere accusatos voluntate consequente damnat ac punit; quorum pessimam vitam si antecederet novisset, nunquam de ipsorum salute fuisset sollicitus: Igitur Deus, qui omnium rerum præsentissimam habet cognitionem, de illorum quos voluntate iustitiæ reprobat, condemnaturque, non potest habere voluntatem sinceram antecedentem misericordiae, ac beneplaciti, ut salvi fiant.

Solutio.

Quidam respondent allatum exemplum non esse ad rem, nam si de improbo, ac pestifero cive loquamur, quemadmodum & de peccatore finaliter impenitente, comparatur voluntas ad personam in certis circumstantiis constitutam; & consequenter non remanet objectum voluntatis antecedentis, sed in his locum habet sola voluntas consequens: quæ responsio ex tradita definitione utriusque voluntatis in sententia Thomistarum, est manifesta. Alii docent iudicem non esse generalem provisorum, sicut Deus est, ideo-

que ex voluntate antecedente, qua vult homicidam vivere in quantum homo est, nulla ei præparare media, ut possit capitis poenam vitare: Deum vero singulis hominibus, quantumvis scelestissimis, communia saltem media præbere: unde in iudice voluntas antecedens est sterilis & otiosa; in Deo autem vera, benefica, & alicujus effectus operatrix. Sed respondemus exemplo iudicis nostram confirmari sententiam. Etenim etiam si iudex prævideret civis alicujus mediatum flagitium, quo patrato in reum poena mortis animadverteret, non tamen civem illum prorsus desereret, sed monitis minisque à perpetrando scelere deterreret, impleteretque omnia, quæ munus postularet Rectoris, ac iudicis. Ita Deus, quamquam ob multorum, quam prævidet, obdurationem futuramque impenitentiam illos reprobet ac supplicii addicat, eos tamen generalibus adiumentis non deserit, sed misericordissima charitate hortatur, adjuvatque ne pereant.

22.
Objectio ultima.

Opp. ult. Voluntas antecedens de universorum salute effugium erat Semipelagianorum, quo Augustinianam de Electione aliquorum secundum Dei propositum doctrinam repudiabant.

Solutio.

Resp. Semipelagianos admisisse in Deo voluntatem antecedentem, quæ ex præscientia humani consensus, fideique sola naturali facultate elicitæ proprium consequeretur effectum, impugnasse penitus voluntatem sequentem, qua Deus certos à massa perditionis ante mundi constitutionem liberare decrevit: excogitasse quoque, ut salutis initium in nobis statuerent, prævisionem meritorum, quæ nunquam futura erunt, in parvulis, qui ante usum rationis rapiuntur. Quæ omnia sequenti libro sunt refutanda. Nos econtra dicimus nunquam ab humana Divinam præveniri voluntatem, hanc omnium meritorum nostrorum causam esse ac principium; & quo ab inimicis gratiæ Christi magis recedamus, etiam voluntatem consequentem & absolutam à divino proposito, non ab operum præscientia repetendam esse defendimus. Distat ergo toto cælo voluntas antecedens in sensu Pelagianorum ab ea, quam hæcenus propugnabimus.



CAPUT II.

Nullam esse in ordine univerſorum Creaturam, quam Deus ſui ipſius cauſa non amet, & cujus non habeat ſedulam curam ac vigilantiffimam providentiam.

SUMMARIUM.

1. Deus amat creaturas propter propriam ſui ipſius bonitatem.
2. 3. 4. Satisfit objectionibus.
5. 6. 7. An, & qualiter amet Deus creaturas poſſibiles?

8. 9. 10. Gubernat Deus Providentiâ ſuâ omnia abjectiſſima, & minima.

11. & ſeqq. ſolvuntur objectiones.

De amore, &
Providentiâ
Dei erga
Creaturas.

PROXIMA eſt quaſtio de Amore Dei erga creaturas ſuas, & de providentiâ, quam tenet rerum univerſarum. Pro qua dirimenda illud tanquam certum ſupponimus, in Deo reperiri actum amoris, quo vult rebus à ſe aut productis, aut producendis aliquid bonum; eſt in eo non ſit deſiderium, neque odium, ſaltem inimicitia, proprie tale. Deſiderium enim eſt de bono tantum abſente; quod nequit in Bono incommutabili, ac ſumma *entis* plenitudine excogitari. Odium quoque eſt velle alteri malum: quod repugnat Deo ſemper ad benefaciendum propenſo. Nam & quando punit, cujusque malevolentia expers eſt; neque movetur animi perturbatione, ſed amore juſtitia, & propria divinitatis, gloriaeque motivo. Quare odiſſe dicitur impios, translata ab hominum indignatione proprietate ſermonis.

I. PROPOSITIO I. Deus amat creaturas ſuas propter propriam ſui ipſius bonitatem.

Probatur 1. Pars. Duas hæc theſis partes habet. Ac prima probatur ex 1. Geneſeos v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: & Sap. xi. 25. Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Probatur quoque ratione. Deus namque creaturis ſuis aliquid largitur bonum, exiſtentiam, conſervationem, & quidquid ipſarum conditioni, & rerum ordini maxime congruit. Atque, ſi nondum fuerunt producta, id illis ſempiterna ſua voluntate conferre decrevit. Vult ergo creaturis univerſis aliquid bonum, ideoque vero illas amore proſequitur.

Probatur 2. Pars.

Altera pars propoſitionis, ſcilicet quod Deus omnia diligit propter ſemetipſum, conſtat pariter ex Scripturis; legitur enim Proverbiorum xvi. 4. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Cui & ratio maniſeſtiſſima accedit; & quod ſola bonitas Divina ſit charitatis Dei obiectum, ut inquit

ſpecificativum: & quod ita Deo conveniat ratio primi principii, quemadmodum finis ultimi. Quamobrem ut operari non poteſt, niſi ex ſe ipſo; ita nequit, niſi propter ſe, aliquid velle, aut diligere.

Opp. 1. Divinus amor eſt indiſtinctus à Dei eſſentia: Deus non eſt aliud, quam ens à ſe: Ergo non amat aliud, quam ſe. Oppoſitio 1.

Reſp. diſt. maj. Divinus amor, & eſſentia idem ſunt, ſi ſpectentur in ſe, conc. ſi comparete ad terminum, atque connotative, nego. Deo idem eſt eſſe ac velle, ſeu illud dicitur ad ſe, iſtud relative; quemadmodum de ſcientia, cæterisque attributis Dei alibi dictum eſt; unde nil mirum ſi ſcientia ac voluntatis Divinae assignari poſſit extrinſecum connotatum, tametiſi iſtud nequaquam *Eſſentia* idea ac nomine comprehendatur. Solutio.

Opp. 2. Aliquem diligere propter ſe eſt amor concupiſcentia; Talis amor Deo videtur indignus: Igitur Deus neminem diligit propter ſe. Oppoſitio 2.

Reſp. aliqui, non repugnare Deo amorem concupiſcentia; non amorem illum, quo concupiſcimus quod non habemus, ſed quo concupiſcimus aliquid bonum ei, quem diligimus. Sed **reſp. diſt. maj.** eſt amor concupiſcentia, ſi inde aliqua diligenti proveniat utilitas ac delectatio: conc. ſecus, nego. Solutio.

Opp. 3. Deus in creaturis ſuis vult ſæpenumero mala: non ergo eas diligit. Oppoſitio 3.

Reſp. diſt. ant. mala culpa, nego. Mala natura, id eſt monſtra ac portentata, ſubdiſtinguo, vult directe, nego; indirecte, ac propter juſtitia ordinem, ac regimen univerſi, concedo. Solutio.

Quæres quid aſſerendum ſit de poſſibilitibus.

Reſp. non convenire circa amorem rerum poſſibilium Scholaſticos. Tenent quidam amari à Deo, atque his momentis ducuntur. Primo: Poſſibilia bona ſunt in ſuo genere, nempe non actu,

5. Aliqui dicunt Deum amare creaturas poſſibiles.

actu, sed *possibiliter*: Quidquid autem bonum est, à Deo procul dubio diligitur. Præterea: Possibilia à Deo cognoscuntur, ergo & amantur; si enim res possibiles, quæ non sunt, possunt esse Divinæ cognitionis objectum, poterunt quoque objectum esse Divini amoris; nam qualem veritatem habent, talem etiam habent in se bonitatem. Rursus salus omnium est possibilis, ut capite dictum est præcedenti, & tamen illam vult Deus sincero animo. Mundus ergo possibilis, licet nullam habeat, vel habere debeat existentiam, diligi potest à Deo, amore saltem simplicis complacentiæ.

6. *Alii dicunt nullo modo amare.* Quidam ex adverso creaturas possibiles à Deo nulla ratione amari putant. Quod primo hac probant argumentatione: Nullam participant creaturæ possibiles rationem boni; non enim habent existentiam, quæ prima est cæterarum perfectionum, nisi objectivam duntaxat, & à Divina indistinctam omnipotentia: At illud quod nullam in se continet bonitatem, nequit esse objectum dilectionis, aut complacentiæ. Ulterius: Amor Dei effectivus est, non affectivus, & semper rebus impertitur quidquid dignum videtur amore: creaturis autem possibilibus nihil bonitatis aut perfectionis largitur Deus, & consequenter minime ab eo diliguntur. Ad hæc: duo sunt charitatis, & amoris actus, uti, & frui. Utimur rebus, quas ad consecutionem finis præstantioris ordinamus: fruimur vero iis, in quibus animus voluptate ac dilectione quiescit. Hinc Magister Sent. in principio prioris libri docet rebus creatis utendum esse, Deo autem summo bono, atque ultimo fine fruendum. At possibilibus Deus neque utitur, neque fruatur. Non utitur; quoniam non eliguntur in usum propter aliquid obtinendum; nec fruatur, quia nulla re creata Deus tanquam ultimo fine delectatur. Nullus ergo actus amoris erga possibilia existit in voluntate Divina. Traditur hæc ratio à S. Patre Augustino lib. I. Doctrina Christiana cap. xxxi. ubi postquam ostendit Deum nos diligere utendo, non fruendo, ait: *Nam si neque fruatur, neque utitur, non invenio quemadmodum diligat.*

7. *Duo certa videntur.* In hac vero opinionum diversitate, duo nobis certa videntur; primum non diligere Deum creaturas possibiles amore aliquo efficaci: quod probant argumenta nuper producta. Secundum vero, quod sicuti bonitatem & essentiam possibilibus constat non esse à parte rei,

sed tantum in mente hominis abstrahentis; ita amor ille Divinus erga possibilia, non est in re, sed in nostra solummodo cogitatione. Non enim diligi possunt, nisi quomodo sunt, quæcunque amore rectissimo diliguntur.

PROPOSITIO II. Gubernat Deus providentia sua omnia etiam abjectissima, ac minima. 8. *Propositio 2.*

Adversus Stoicos & Epicureos, qui negaverunt supremi Numinis regimen, & Genethliacos, qui omnia fato & inevitabili siderum constitutione arbitrabantur contingere, cap. 2. ac 3. primi libri propositionem firmavimus. Eandem sequentibus momentis communitus. Principio enim Divinam hanc providentiam sacræ testantur literæ. Octavo Sap. cap. v. 1. legitur: *Attingit à fine ad finem, & disponit omnia suaviter.* Rursus seq. cap. xii. 13. *Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus.* Tum Matth. x. 29. *Nomine duo passeris asse veneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Et cap. vi. 26. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester celestis pascit illa.* De malis quoque, si ea sint poenarum, ait Isaias xlv. *Ego Dominus faciens pacem & creans malum:* nimirum ad punitionem impiorum, & commendationem justitiæ suæ. Si vero sint mala culpæ, ab eo permitti, ut notam faciat potentiam suam, & ostendat divitiis gloriæ suæ in vasa misericordiæ, inquit Apostolus ad Rom. ix. 23.

Hanc Dei prævidentiam Patres communiter demonstrant. Joannes Damasc. lib. 2. de Fide cap. 29. eandem probat ex infinita Dei bonitate; nam & homines quoque ac bestię propriorum factuum providentiam habent naturali instinctu: & qui non providet, vituperari solet. Utitur eadem ratione adversus Adimantum Manichæum S. P. Augustinus. Ambrosius in primo de Officiis cap. 13. idem evincit, quod nullus operator negligat operis sui curam. Theodoretus ac Salvianus de Divina Providentia elegantissima conscripserunt Opuscula. Eandem Paulinus, alique metro celebraverunt. Neque soli Ecclesiæ Patres, etiam Gentiles Philosophi de summi Numinis providentia præclarissimas protulere sententias. Eminent inter ceteros Hierocles, qui scripsit in Stoicos de Fortuna & usu Deorum, Chalcidius ad Timæum Platonis, Jamblicus segmento viii. de Mysteriis Aegyptiorum, Alexander

der Aphrodisiensis in libro de Fato, Gel-
lius Noctium Atticarum lib. vi. cap. ii.
Diogenianus Peripateticus contra Chry-
sippum, & alii. Quorum unanimis
sensus est dari seriem & nexum causa-
rum omnium, quæ consilio & volun-
tate universalis motoris in suos quæque
effectus diriguntur, salva semper con-
tingentia eorum, quæ in nostra sunt
potestate.

10.
Probatur 3.
ex rebus sin-
gulis.

Eandem providentiam res singulæ
contestantur. Primo certi cælorum mo-
tus, ratique ordines astrorum, quibus
anni, tempora, ac sæcula imperturbato
nexu prætereunt; singulæ mundi regio-
nes, mira animantium ac fatum propa-
gatio, Regnorum, etiam Divinis ora-
culis prænuntiata vicissitudo, ut Græ-
corum, Chaldæorum, Medorum: ho-
minum præsertim, inter animalia præ-
stantissimi generis, artes, commercia,
consuetudines. Quæ omnia, aliaque
permulta non dubitamus quin opera sint
rationis; ut in altero libro de natura
Deorum disputat Marcus Cicero. Se-
cundo apparet mirabilis hæc providen-
tia, in his, quæ primo aspectu casu
evenire creduntur, sed spectatis circum-
stantiis apparent mirabili dispositione
contingere. Explicant id in libro ad Im-
peratores Aphrodisiensis exemplo Oedi-
pi, quem Lajus exposuit, & a bubulco
educatus obviis factus parenti ignarus
ignarum occidit. Quod fato non eve-
nisse constat ex præcedenti oraculo
Apollinis Pythii,

*Te namque perimet, si qua erit pro-
les tibi,*

*Atque inde tota sanguine undabit do-
mus.*

Sed missa fabula, quis non fortuito, &
sublata Numinis providentia accidisse
existimasset, ut Moyses in fiscella scir-
pea ad fluminis alveum exponeretur,
Joseph ad Aegyptios duceretur capti-
vus, David relicto pecore proficiscere-
tur ad urbem, & asinis deperditis Saul
ad Samuelis domum accederet? Et ta-
men hæc disponente Deo facta esse pro-
bavit eventus. Nam ex tam remotis
causarum primordiis Joseph in Princi-
pem Aegypti, Moyses in populi Ducto-
rem, David ac Saul in Reges maximos
evaserunt. Plura Salvianus in i. de
Providentia, & Nemestius cap. 42. con-
gesserunt. Cum ergo etiam ea, quæ
temere nata videntur, ad aliarum rerum
occasionem incidant opportune, dubi-
tare non possumus quin contingant su-
periore aliqua ratione moderante. Po-
tremo accedit & ratio: Si enim est Deus,

is profecto sapientissimus est; rerum-
que universarum ideis repletus, tum
principium, ac finis omnium creatura-
rum. Atqui nisi omnibus provideret,
& ad se omnia ordinaret, non esset in
eo ratio incommutabilis universorum,
neque summa potestas, & ultimi finis
dignitas ac præstantia; vel, quod non
minus videtur absurdum, productis
à se rebus invideret, & illas in pugnam
ac distractionem sineret abripi. Estigi-
tur in Deo ratio, dispositio, & regula
universorum. Atque hæc est providen-
tia, quam Boetius lib. iv. de Consolat.
Philosoph. Prosa sexta definit: *Provi-
dentia est ipsa illa Divina ratio in summo
omnium principe constituta, quæ cuncta
disponit.*

RESPONDETUR AD OBJECTIONES.

II.

Opp. 1. In hac rerum universitate
plura sunt, quæ à recto ordine defe-
ctunt, & cum suarum causarum fine
nequaquam coherent, ut monstra &
ostenta: cumplura etiam, quæ universo
nullam afferunt pulchritudinem, aut
utilitatem, ut innumera insectilium,
ac vermiculorum genera. Igitur erga
hæc saltem non extat ratio Divina, vel
providentia.

Solvitur.

Resp. nego ant. Quæcunque enim ca-
sualia & portentosa videntur, distant
quidem ab intentione ac fine particula-
rium causarum, sed non à directione
ac regula causæ primæ, & licet videan-
tur noxia & inordinata, si comparentur
ad causam proximam, sunt tamen magno-
pere utilia, & ordinatissima si referan-
tur ad sempiternam rationem, & con-
stitutam à Deo rerum seriem. Quippe
& illud sapientissime à Deo aterna
lege sancitum est, ut causæ secun-
dæ natura sua mutabiles quandoque
in rerum efficientia commutentur, ut
in ipsa contingentium varietate unius
summæ causæ immutata ratio persistat.
At vide Resp. nostram ad 3. Cap. iii.
lib. i. Porro etiam minima & viliora ad
præordinatum providentiæ finem maxi-
me conducunt, & licet insipientibus su-
perflua videantur, non sunt tamen Con-
ditori, & artifice suo, qui omnibus uti-
tur ad gubernationem universitatis, cui
suma lege dominatur. Aptissimo exem-
plo id planum facit S. P. Augustinus lib. i.
de Genes. contra Manich. cap. xvi. *Si
in alicujus opificis officinam (inquit) im-
peritus intraverit, videt ibi multa in-
strumenta, quorum causas ignorat: Et
si multum est insipiens, superflua putat.
Jam vero si in fornacem incautus cecide-
rit,*

rit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, seipsum vulneraverit, etiam pernicioſa & noxia exiſtimat ibi eſſe multa: Quorum tamen uſum, quoniam novit artifex, inſipientiam ejus irridet, & verba inepta non curans, officinam ſuam conſtanter exercet. Et tamen tam ſtulti ſunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant; ſed cum ea viderint, credant eſſe neceſſaria. In hoc autem mundo, cujus conditor, & adminiſtrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum cauſas non vident, &c.

12. *Instantia.* Infurges: hanc de rebus vilioribus providentiam non habere Deum affirmat Apoſtolus 1. ad Corinth. ix. 9. dicens: *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* Conſentit beatus Hieronymus in Caput 1. Abacuc. Videtur quoque Divinæ indignum Majeſtati ſummum Deum rebus abjectiſſimis immiſceri.

Solutio. Reſp. Significare Apoſtolum, quod præceptum Deut. xxv. 4. *Non alligabis os bovi trituranti*, ſpecialiter datum fuit cauſa hominis; nempe ut mercedem & alimoniam, quam jumentis largimur, magis in homines exerceamus. Probat enim ibi Paulus licitum ſibi fuiſſe victum accipere à Corinthiis, tanquam laborum ſuorum juſtum debitumque ſtipendium: quoniam etiam qui plantat vineam edit, bibitque de ipſius fructu, qui paſcit gregem, de lacte ejus manducat; & Moſaicum præceptum non alligandi os bovi trituranti, propter Eccleſiæ miniſtros datum eſt, quibus, dum ſeminant ſpiritualia, licet carnalia metere, & dum in Sacrario operantur, ea quæ de Sacrario ſunt comedere. Hieronymum aſſerere, quod non ſit eadem providentia, eademque cura de hominibus, ac de cæteris rebus, non vero negare quod Deus omnia immediate dirigat, & gubernet, diximus, & apertiffime oſtendimus lib. iv. cap. ii. Prop. 2. ad 1. Id minime dedecet altiffimam Dei majeſtatem. Ut enim ratiocinatur D. Ambroſius: *Si injuria eſt regere, nonne eſt major injuria feciſſe? cum aliquid non feciſſe nulla injuſtitia ſit, non curare quod feceris ſumma inclementia. Quod ſi aut Deum creatorem ſuum abnegant, aut ferarum & beſtiarum ſe haberi numero cenſent, quid de illis dicamus, qui hac ſe condemnant injuria?* lib. i. de Officiis cap. 13.

13. *Urgetur.* Dices: Atqui videtur congruum, ut Altiffimus univerſorum Dominator miniſterio creaturarum utens, quemadmodum Reges, terrenique principes, non immediate ſubjecta gubernet.

Reſp. Falſum eſſe ant. quippe quod Reges per conſtitutos à ſe Vicarios re-

motas regant provincias, non tam domini argumentum eſt, quam poteſtatis coarctatio. Contra Deus qui omnipotens eſt, & ubique præſens, ſingulis rebus tribuit efficaciam; & omnia propria poteſtate diſponit. Non deſt illi dominationis magnificentia, cum per ſubjectam creaturam innumera operatur; neque dum communicat creaturis dignitatem cauſalitatis, ſuæ prodiſt indigentiam virtutis. Quanto cauſis corporeis, quæ invicem ſeparantur agendo, nobilior eſt anima quæ per membra omnia diſfunditur, & opera vitæ per corporis organa exercet; tanto, ſi aliquam fas eſt infinito addere comparationem, reges à præpoſitis ſuis loci intervallo ac viribus ſeparatos antecellit Altiffimus, qui ubique præſens nunquam à creaturarum ſuarum operatione ſejungitur.

Opp. 2. Dei providentia ſi eſſet, foret à juſtitia inſeparabilis: quod falſum eſt de præſenti providentia. Primo enim cur Deus innumera mala permittit ſi juſtus eſt? Deinde ſi homines mali ſunt propria voluntate; quare via impiorum proſperatur, quare florent iniqui? Cur econtra bonis accidunt ſæpiſſime mala? Cur non perdit Deus improbos, & beneficiis non cumulat honeſtiores?

Reſp. Juſtiſſimam eſſe præſentem Dei providentiam. Permittit mala, ut perfectiora & magis defæcata fiant bona: ſunt enim fructus ſuaviſſimi, dum folia & cortex acrioris ſunt ſucci: modulatio vocis magis jucunda cum certa interpoſitione ſilentii; & umbra in picturis eminentiora quæque diſtinguit. Vide has, aliasque elegantiffimas ſimilitudines apud Auguſt de Genef. ad lit. Op. imperf. cap. 5. Permittit quoque Deus mala, ut eveniant bona, quemadmodum dixi lib. i. cap. viii. Nam & peccatorum occaſione manifeſtatus eſt ordo juſtitia, & opera exercentur miſericordiæ. Proſperatur via peccatorum, ut boni ſe avertant à cupiditate temporalium: *Nec bona cupidius appetantur, quæ mali etiam habere cernuntur:* ait S. P. lib. i. de civit. Dei cap. viii. Tum, ut Deus juſtus, ſi aliquid boni fecerunt, eis præſentis vitæ mercedem rependat. Non eſt tamen felicitas impiorum, ut creditur, maxima ac diuturna: ſed interiori pace deſtituti innumeris ſe immiſcent calamitatibus. Præterea *Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum*

14. *Objicitur 2.*

Solvitur.

illum bonus exerceatur: inquit idem Augustinus in Psalmum LIV. Bonis adversitates adveniunt, ut terrena spernant; momentaneum hoc & leve tribulationis ipsorum æternum gloriæ pondus operetur. Non possumus denique injustam dicere providentiam, quæ in altero sæculo sempiterna supplicia, & beatissimam requiem paravit: nec semper in hac vita coronat merita, ut cum iustum noverimus, spe melioris substantiæ nutriantur studia virtutum.

15.
Instantia.

Dices: Saltem perditissimorum hominum, quos finit in profundum prolabi peccatorum, nullam habet Deus providentiam.

Responsio.

Resp. Impios, quamquam de illis non habet Deus eandem curam, quam tenet de Electis, à Divina tamen providentia non deferri, à qua destituti necesse foret, ut prorsus perirent atque reducerentur in nihilum. Relucet vero in his providentiæ Dei rectitudo, quod ex moribus improborum apparet infirmitas ac libertas arbitrii, virtus misericordiæ & gratiæ in his qui præservantur, summa Dei potestas ac beneplacitum in discernendis Electis, & in domo magni patrisfamilias ad omnem usum vasa tam aurea, quam fictilia videntur disposita. Ut insuper piorum exempla nos ad imitationem hortantur; ita impiorum flagitia reddere debent timidiore, nobisque pavorem simul, ac sanctam incutere sollicitudinem. Si vero quæras qui fieri possit, ut peccata Divinæ subiciantur providentiæ; respondendum est, quod non eo sensu providet Deus peccatis, ut ea curet ac prædefiniat; non enim causam habere possunt, nisi deficientem, cum sint privationes debitæ rectitudinis. Sunt nihilominus subjectum providentiæ quantum ad ordinem, cum permittantur altissimo Dei consilio, ut inde majora bona proveniant. *Quædam ergo & facit Deus & ordinat: quædam vero tantum ordinat*; inquit; S. P. Augustinus cit. lib. de Genes. cap. v.

Obiectio ultima.

Opp. ultimo. Videtur hæc providentia, quæ singulas res suis necesse ordini, idem ac Fatum Stoicorum, quod ex Chrysippo Gellius ita describit lib. VI. cap. 2. *Fatum est sempiterna quædam, & indeclinabilis series rerum, & catena volvens semetipsa sese, & implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta, connexaque est.*

Solutio.

Resp. Questionem de Fato, quam Cicero vocat obscurissimam & implicatissimam, non debere mentem pulsare Fidelium. Non enim datur Fatum,

quod sit anticipata necessitas proveniens ex certa siderum dispositione: de quo nonnihil me scripsisse memini superiori libro cap. III. & VII. Tale Fatum invexit primus omnium Democritus, qui etiam humanarum actionum causam statuit naturam æternam materiæ, & antecedentium causarum colligationem, ut scribit lib. I. de Placitis Philosophorum cap. XXV. Plutarchus: unde ex hoc Gentium fonte hauserunt errorem Hermogenes, ac Marcion; de quo lib. V. Tertull. ait: *Collocans cum Deo Creatore materiam de porticu Stoicorum.* Ab hac materia esse mala ac peccata asserbant; quæ tamen digna prædicabant execratione, quemadmodum virtutes, tametsi stellarum inclinatione & impulsu patratas, laudibus atque amore. Quod apta comparatione sic exponit Manilius:

Nam neque mortiferas quisquam minus oderit herbas,

Quod non arbitrio veniant, sed semine certo.

Gratia nec levior tribuetur dulcibus escis,

Quod natura dedit fruges, non ulla voluntas.

Cum ergo noverint hanc maliciosam materiæ vim Dei bonitati repugnare; facile fuit etiam cum Fato æternum principium malorum inducere, & Manichæorum hæresim ex Persarum, Magorumque cineribus suscitare. Hinc Priscillianus ex Manichæorum & Gnosticorum dogmate hæresim nominis sui condidit, inquit ad annum Christi 381. Eusebius: ad subsequenter annum 386. illam refert Sigebertus, propagationis magis, quam ortus rationem habens. Grassabatur in partibus Hispaniarum, ubi primum emerferat, ætate quoque Augustini & Orosii: quin ibidem exarsisse etiam vivente Leone Magno, constat ex ejus ad Turibium Epistola.

Fatum sic acceptum nemo est qui non damnet. Nam primo, ut satis liquet ex hujus origine, & scribit S. Leo elegantissima Epistola, quam nuper laudavi, quisquis fatum adstruit, *tenebris se etiam paganitatis immergit*: nimirum conatur asserere necessariam ac sempiternam malitiæ vim, naturæ summi Dei optimæ ac perfectissimæ repugnantem. Cultum quoque siderum per hanc amentiam necesse est instaurari. Deinde neque de bonis, neque de malis actibus ullum poterit esse iudicium, si in utramque partem fatalis necessitas motum mentis impellit, & quidquid ab hominibus agitur, non est hominum, sed

De fato quid dicendum.

sed astrorum; ut arguunt citato loco S. Leo, hom. x. Gregorius Magnus, & in lib. ad Orosium S. P. Augustinus. De Fato sic accepto rectissime eo loco Gregorius: *Absit à fidelium cordibus, ut fatum esse aliquid dicant.*

Probat
dari fatum
juxta men-
tem Boetii.

At si accipiat Fatum, ut illud definit Boetius, pro *inhærente rebus mobilibus dispositione, per quam providentia suis quæque necesse ordinibus*; dari fatum probatur iisdem argumentis, quibus Divinam asseruimus providentiam. Quapropter S. Pater in v. de civit. Dei cap. x. scribit: *Si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigit.* Et jure merito monet à Fati nomine esse abstinendum; quod sermonis consuetudine videatur significare certam positionem siderum, ex qua casus eveniant inevitabiles. Cæterum providentia Dei rerum non tolli contingentiam constat ex quo in certa causarum omnium dispositione, etiam causæ contingentes ac liberæ

contineantur; & prima causa nedum singulos effectus disponat, sed etiam rationem ac modum. Quare ex Dei providentia nulla consequi potest absoluta necessitas; ut dictum est præcedentis libri cap. 3. ac postremo. Atque hinc est, injustas esse expostulationes & querelas mortalium, qui Deo tribuunt molestias, & ægritudines, quibus plerumque in pœnam scelerum suorum afficiuntur. Quod non solum exprimat Augustinus Enarrat. in Psalm. 72. & lieto 22. adversus Faustum, verum etiam sapientissimus, & antiquissimus Poetarum Homerus in hisce versibus latine redditus, & à Hierocle, & Gellio adversus nocentes recitatis, necum maleficio revicti sunt, ad Fati asylum confugiant:

Diis facere invidiam mortalis turba laborans

Clamitat à nobis nasci mala; cum tamen ipsi

Per scelus accersant supra sibi Fata dolores.

C A P U T III.

Divinæ voluntati perfectionem libertatis nequaquam deesse.

S U M M A R I U M.

1. De plenitudine libertatis in Deo.
2. Declaratur status questionis.
3. 4 Est in Deo opposita necessitati libertas.
5. 6 Constituitur Dei libertas per actum sempiternum, ac necessarium Divinæ volun-

tatis à substantia indistinctæ, prout connotat objectum creatum, & effectum contingentem defectibilem.

7. & seqq. refutantur objectiones.

I.
De Plenitu-
dine liberta-
tis in Deo.

RESTAT tertia voluntatis conditio, quam diximus esse plenitudinem libertatis. Hanc reperiri in Deo facile quisque conciet: sed ejus rationem exponere Theologi putant maxime arduum atque operosum. Nam Cajetanus Dei libertatem constituit in perfectione aliqua substantiæ Divinæ superaddita, ac pro libitu variabili: quæ opinio videtur cum simplicitati, tum immutabilitati Divinæ naturæ repugnare. Quamquam si variationem illam dixeris duntaxat respectu terminorum, ut tenent primores Thomistæ, & credibilius est voluisse Cajetanum, multos habet opinio illa, gravissimosque Assertores. Sed sunt, qui tenent Dei libertatem non addere ad substantiam Divinam necessariam ac immutabilem, nisi respectum rationis, ita ut per nullam Deo intrinsicam perfectionem constituatur: quod post Aureolum antiquiorem Scholasticum noster quoque

R. P. Berti Theol. Tom. I.

Legionensis, & Vasquesius cum nonnullis aliis docuerunt. Alii econtra Dei libertatem stare putant in intrinseca quadam *entitate*, variabili in se *virtualiter*, quatenus divinæ voluntatis actus perinde se habeat ac si possit non existere, ut satis ambigue explicant Herrera, alique complures. Nos vero coherentem ad ea, quæ diximus secundo horum Opusculorum libro, scilicet, nihil esse in Deo aut mutabile, aut adventitium, aut quoquo modo à persistente natura diversum, nisi ratione connotatorum, dicimus consistere Dei libertatem ejusque actum in ipsamet Dei substantia intelligente ac volente, quatenus terminatur ad exteriora objecta: quod non solum docuit noster Gregorius, verum etiam Scotus, & ex recentioribus Theologis, Tournely, Habert, Frassen, Du-Hamelius, Juenin, alique viri clarissimi.

Pro hac autem resolvenda questione,

K k

ne,

2.
Declaratur
status Qua-
stionis.

ne, supponimus agi nunc de libertate, quæ est potestas agendi vel non agendi; nam si liberum accipias pro eo quod necessarium est, & liberum tantum à coactione, seu libertate lubentia; certum est, Deum esse liberum etiam comparate ad propriam bonitatem; quam licet necessario, lubentissime tamen, maximaque diligit voluptate. At est hæc libertas sola naturæ liberæ & sui juris haud completa proprietas: & quotquot de libertate scripserunt, ad hanc pertinere tradunt, ut sit plenissima potestas indifferens ad utrumlibet. Libertatem quoque *contrarietatis*, quæ est ad bonum & malum, Deo non convenire, liquet ex his, quæ disputavimus lib. 11. cap. vi. de potentia peccandi: quam esse à Deo removendam demonstrat idea summi ac perfectissimi *entis*, quod nullatenus potest sive à bonitate, sive à recta agendi ratione deflectere. Quamquam si referas hanc libertatem *contrarietatis* non ad bonum & malum patrandum à Deo, sed ad pœnam vel præmium rependendum hominibus; assentior ego Scotistis, qui in ipso Deo statuunt etiam libertatem *contrarietatis*, quandoquidem unum eligit, alterum reprobat, eandemque personam deserit peccantem, quam amplectitur pœnitentem. At in his, quemadmodum diversa intervenit connotatio ac terminorum affectio, ita nulla ostenditur *contrarietas* respectu Dei: de quo illud in præsentiarum inquirimus, num in rebus à se productis sese gerat libere ita ut unum sic eligat, ut alterum valeat eligere, atque quidquid facit, eo pacto faciat, ut potuerit non facere: quam communissime vocant Scholæ libertatem *contradictionis*.

3.
Propositio 1. PROPOSITIO I. Est in Deo opposita necessitati libertas.

Probatur 1. Oraculis Scripturarum contra Vortex. Wiclefsum, aliosque hujus farinae Refractarios hæc roboratur assertio. Psalmo enim 134. habetur: *Omnia quæcunque voluit, fecit.* 1. ad Corinth. 12. 11. *Hæc omnia operatur idem ac unus spiritus, dividens singulis prout vult.* Matth. xx. *An non licet mihi quod volo, facere?* &c. Ad Rom. ix. 18. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat,* &c. Idem probatur ex PP. dicente Augustino xxii. de civit. Dei cap. 3. *Non ideo quia Deus peccare non potest, liberum arbitrium habere negandum est.* Damascenus lib. 11. de Fide cap. 22. ita adversus Arianos scribit. *In tantum processistis impietatis, ut negetis quod Filius Dei liberæ voluntatis sit.* Ac

certe soletis etiam Spiritui Sancto derogare, & negare non potestis scriptum esse: *Spiritus ubi vult spirat.* Ergo si Spiritus ubi vult spirat, Filius quod vult non agit? Omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. Prout vult, hoc est pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. Ac S. Bernard. de Grat. & lib. arbitrio: *Libertas à necessitate*, ait, æque & indifferenter Deo, universæque tam malæ, quàm bonæ rationali convenit creaturæ. Vide & Basilium Hom. 1. in Hexam. Ambros. eodem loco lib. 1. cap. 5. Hieronymum in Epist. ad Philemonem cap. 1. 14. &c.

Probatur quoque ratione. Ac primo libertatem exigit ratio supremi dominii. Deinde magnificentia ac liberalitas, quæ, auctore Seneca libro de beata vita cap. 24. ita nominatur quia à libero animo proficiscitur. Præterea divinitatis perfectio, quæ non exigua est posse de rebus universis pro suo arbitratu disponere. Ulterius summa ejus ratio ac sapientia, quæ postulat, ut omnia fiant à suprema causa cum electione & consilio. His apud Scriptores vulgarissimis addo argumentum aliud apertissimum atque invictissimum. Possunt singulæ creaturæ à Divina separari operatione; neque ulla cum Dei potestate junguntur lege necessitatis: Est ergo Deus in ordine ad creaturas essentialiter indifferens ac liberrimus. Antecedens probatur; si enim res creatæ à vi effectrice primæ causæ separari non possent, consequeretur omnes creaturas æternas esse, quemadmodum æterna est Dei virtus ac substantia: esse insuper Deum imperfectum, nisi operaretur ad extra; neque aliquid esse creatum, sed omnia sempiterna, & cum divinitate essentiali unitate connexa.

PROPOSITIO II. Constituitur Dei libertas per actum sempiternum ac necessarium Divinæ voluntatis à substantia indistinctæ, prout connotat objectum creatum, & effectum contingentem & defectibilem.

Hæc propositio duas habet partes. Ac prima sic probatur. Dei libertas perfectio intrinseca est, ejusque actus est immanens & vitalis: In Deo autem nihil intrinsecum ac immanens reperitur præter necessariam ac sempiternam substantiam intelligentem & volentem; alias foret Deus compositus atque imperfectus. Est ergo libertas Divina idem ac necessaria & persistens substantia Dei intelligens ac volens. Altera pars sic ostenditur: Requiritur ad libertatem

4.
Probatur 2.
ratione.

5.
Propositio 2.

6.
Probatur 1.
& 2da Pars.

tatem aliqua indifferentia; liberum enim opponitur necessario: Sed actus Divinae voluntatis non est indifferens prout comparatur ad bonitatem divinam, quæ perfecte cognita non potest cadere sub indifferentia iudicii; quum nullum sit bonum: quod cum summo Deo valeat æquiparari: Ergo hæc indifferentia attendi debet penes connotata, id est exteriora objecta, quæ contingenter, & ex libera Dei voluntate efficiuntur in tempore. Ex quibus sequitur, libertatem Dei esse ex genere illorum, quæ connotative, non absolute dicuntur; scilicet, unum significant, & aliud, ut inquit dialectici, con significant. Primum est ipsamet Dei natura, quæ est & suum esse, & sua operatio; alterum vero quidquid in aliqua temporis efficitur differentia: quod pro solutione argumentorum est apprimè observandum. Lege quæ diximus de Dei immutabilitate lib. II. cap. IV. Prop. III.

RESPONDETUR OPPOSITIONIBUS.

7.
Objectio 1.

Opp. 1. Libertas importat electionem; est enim deliberatio, sive dijudicatio animi, qua se aliquid facere, vel dimittere quisquam proponit: In Deo non reperitur Electio: Ergo in Deo non existit libertas. Ad hæc: Postulat libertas indifferentiam saltem activam; hæc autem repugnat Deo; quandoquidem, ubi datur indifferentia activa, datur potestas, quæ esse potest sine actu: Atqui in Deo nulla extat potentia, quæ possit esse sine actu: Ergo neque aliqua indifferentia. Rursus: Non consistit cum immutabilitate libertas: Deus est immutabilis: Igitur non est liber.

Solutio,

Resp. ad primum nego minorem; licet enim in Deo non sit electio cum permixta consultatione, quæ mutationem importat intelligentiæ, animique ancipitem suspensionem; est tamen electio, quæ est unius optio præ alio, absque ulla animi hæitatione. Nam illa voluntatis ante electionem indeliberatio ac suspensio, cum ex ignorantia proveniat, arbitrii defectus magis dicenda est, quam perfectio. Ad secundum dico: esse quidem in Deo indifferentiam activam; sed cum hæc dicatur connotative, indifferens Deus est non comparate ad propriam entitatem substantiæ, sed ad mutabilitatem effectuum: quamquam potestas etiam sine actu non semper dicat imperfectionem; non enim homine, qui actu loquitur, est semper imperfectior ille, qui, cum lo-

R. P. Berti Theol. Tom. I.

quendi habeat potestatem, silentium servat. Verum in Deo nulla est potentia ab actu distincta, nisi prout actus accipitur terminative; exigente summa Dei perfectione, ut idem sit ejus potestas & operatio. Ad tertium nego majorem; quippe salvatur Dei immutabilitas cum indifferentia actus liberi, dummodo iste contingens sit, quatenus connotat terminum, non pro eo, quod dicit in recto. Etenim creatio mundi est actus liber; & tamen ex quo Deus in tempore mundum condiderit, non est intrinsece mutatus. Libera fuit quoque Verbo Divino humanæ naturæ assumptio; non proinde aliquid Personæ Verbi putandum est accessisse: mirum cum Deus sit actus purissimus, libere agit absque sui mutatione; alias foret in Deo potentia indeterminata ac suspensa, & ejus libertas creaturarum subiceretur defectibus, quos de summo Deo differentes caute debemus ab omni ejus proprietate secernere.

Opp. 2. Cum Nicolao L' Herminier. Actus Dei liber constituendus est in actione voluntatis, quæ potuerit non esse; & discrimen aliquod assignari debet inter libertatem & actum. At discrimen nullum est, nisi quod libertas est quadam facultas pertinet ad Dei substantiam, actus vero operatio ejusdem facultatis, qui possit non esse. Deinde quaeritur quid sit Dei libertas formaliter & in abstracto: atque huic quaestioni non bene satisfacit, dicendo, libertas Dei est ipsa Divina substantia terminative accepta: sicuti quærenti quid sit aternitas, haud recte responderetur dicendo esse Divinam substantiam principio ac fine carentem. Rursus etiam Dei scientia est *Entitas* Divina connotans creaturas: Non ergo per hujusmodi connotationem propria ratio libertatis poterit explicari.

8.
Objectio 2.

Resp. ad primum utique actum Dei liberum esse actionem, quæ potest non esse: at quoniam quidquid in Deo est, si spectetur secundum id quod importat in recto, est necessarium atque immutabile; opus est, ut hujus libera actionis indifferentia versetur tota penes extrinsecum connotatum. Discrimen vero inter facultatem & actum in Deo pariter nullum est; nisi hoc unum, quod facultas connotat terminum ut potest poni, actus illum respicit ut positum, vel ponendum in aliqua temporis differentia: atque hoc pacto libera potestas creandi connotat creaturam possibilem, decretum liberum creaturam futuram, creatio & conservatio actualis

Solutio.

K k 2

crea-

creaturam actu existentem. Ita Deus nulla ratione mutatus dicitur & potens, & volens; quemadmodum idem numinus appellatur pretium, & arrha. Ad secundum nego hanc non esse optimam Aternitatis definitionem: *Aternitas est ipsa Dei substantia, prout caret fine ac principio.* Nam ait Augustinus in Psalmum primum & centesimum: *Non enim aliud anni Dei, & aliud ipse Deus; sed anni Dei aternitas est. Aternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile.* Habet similia beatus Anselmus in Monologio cap. 26. ubi de Divina substantia ait: *Aternitas ejus nihil aliud est, quam ipse.* Falsum est ergo quod censet L' Herminier, Aternitatem Dei, aliaque Divina attributa definienda esse tanquam *formas* divinitati inherentes: cum potius similes definitiones repugnent Deo, qui substantialiter est sua aternitas, sua voluntas, sua libertas. Ad tertium respondeo scientiam pariter ac libertatem sumptas in recto esse unam Dei, eandemque substantiam; distingui autem vicissim diversa connotatione; nam scientia terminatur ad creaturas; ut veritatem habent intelligibilem; libertas vero easdem respicit, quatenus existentiam habent contingentem, & prout sunt medialibere ad ultimum finem ordinata.

9. **Opp. 3.** Actus liber Dei vitalis est; Ergo est illi prorsus intrinsecus

Objeccio 3.
Solutio

Resp. dist. ant. Est actus vitalis connotans extrinsecum objectum, concedo. In eo tantum, non in perfectione intrinseca, quæ est ipsamet Dei substantia, consistens; nego. Multa sunt Dei intrinseca, quæ tamen ad objectum creatum comparantur, ut præscientia, virtus creatrix, prædestinatio, & cætera istiusmodi. Atque etiam *ab intra* personæ Patris intrinseca est generatio ac paternitas, quæ tamen absque ordine ad Filium à persona Patris distinctum nequeunt comprehendi.

10. **Instantia,**

Insurgens: Hujusmodi connotatio vel intrinseca est, vel extrinseca: Si istud dixeris, constituetur Dei libertas per aliquid externum, atque adventitium; Si primum, erit Deo intrinsecus ac necessarius respectus ad res creatas. Rursus si tali connotatione Divina constet libertas, erit imperfectior libertate creata, quæ sine istiusmodi terminatione consistit. Insuper nulla Divina perfectio etiam inadæquate constitui potest per aliquid extrinsecum, & creatum: Istiusmodi connotatio extrinseca est, &

creata: Igitur nequit etiam inadæquate Divinam constituere libertatem.

Resp. ad 1. Talem connotationem spectatam ex parte actus, atque secundum id quod supponit in recto intrinsecam esse, necessariam quoque, & sempiternam; contingentem autem esse, extrinsecam, ac variabilem ratione termini & objecti. Quod explicari potest exemplo relationis Dei Creatoris ad res creatas, aliisque supra productis. Est enim Deus in se revera Creator, & quæcunque ipsius operatio aterna est, neque à divinitate sejungitur; & tamen liberrima est ipsius omnipotentia: advenitque ei nova Creatoris denominatio per solam rerum creaturarum connotationem. Hoc ferme pacto nulla facta in *fundamento*, ut inquirunt, mutatione, nova illi exaccessione termini venit aut similitudinis, aut æqualitatis, aut coexistentiæ, relatio. Illud vero quod de libertate creata dictum est, nostram confirmat assertionem. Enimvero in libertate creata & indeterminatio, & volubilitas, & diversorum actuum variatio succedit, neque opus est, ut exterius contingentiam suam mutetur. At Dei libertas, cum non sit suspensa ac mutabilis, neque in se actus habere possit diversos, à terminis duntaxat suam accipit indifferentiam. Quapropter qui actum Dei liberum in ordine ad connotata nobiscum exponunt, nihil Divinæ derogant perfectioni; sed loqui videntur de Divina simplicitate, atque immutabilitate decentius. Sed & illud negari potest, voluntatem nostram nullatenus per extrinsecum objectum constitui. Constituitur enim, non quidem accepta secundum *formam*, pro qua supponit, sed comparate ad ad terminum, quem consignificat. Hoc pacto constitui quoque Divinam perfectionem, si ea sit de genere earum, quæ connotative dicuntur, non est indecens, sed per quam maxime congruum. Nam hac ratione, ut diximus, omnia fere attributa explicantur; quæ, tamen connotent creaturas, non appellantur tamen Deo extrinseca, sed ab ejus natura ac substantia sunt penitus indistincta.

Opp. 4. Si idem esset actus Dei liber, ejusque substantia, quemadmodum ista, ita ille aternus foret, & necessarius. Præterea eadem Dei perfectio esset simul immutabilis & contingens; immutabilis, quoniam talis est Dei natura; contingens vero, quoniam talis debet esse actus liber. At hæc valde repugnant sanæ, rectæque rationi. Male ergo

11. **Objeccio 4.**

go à nobis Dei libertas, ejusque exercitium exponitur.

Solutio.

Resp. utique actum Dei liberum æternum ac necessarium esse, si spectetur in eo, quod importat *in recto*, ut nuper diximus de hujus actus connotatione. At cum tali necessitate stat contingentia ratione termini & objecti. Neque pugnat eundem actum immutabilem, & contingentem esse respectu diversorum, quomodo eadem creatio æterna est si comparatur ad Deum, temporanea si referatur ad creaturas: eadem voluntas absoluta respectu prædestinationis Sanctorum, conditionata relative ad meritorum retributionem: eadem denique scientia practica comparative ad objectum operabile, speculatrix in ordine ad ea quæ ab artifice universorum non fiunt.

12.
Instantia
cum solu-
tione.

Quod si insitis: Actus Dei liber fuit ab æterno, neque tamen ab æterno existit aliqua creatura; occurrit semper eadem responsio, scilicet, Actum Dei liberum fuisse ab æterno secundum substantiam suam, non quoad terminum. Et si rursus objicias, quod si ab æterno nulla erat res creata, neque etiam potuit esse connotatio, quam requirimus ad libertatem; respondemus ab æterno talem connotationem fuisse ad terminum futurum, quæ productis jam creaturis transit ad terminum existentem, quomodo ipsa creatio ac virtus omnipotentia spectabat ab æternitate mundum producibilem, quem nunc connotat jam productum; & scientia, quæ erat futurorum, facta est scientia præsentium, nulla accedente ex parte Dei mutatione.

13.
Obiectio ul-
tima.

Opp. ultimo: Qualibet creatura dependet à libera Dei voluntate, & est effectus liberæ determinationis ipsius; ergo respectus ad creaturas non constituit, sed supponit actum liberum voluntatis Divinæ.

Solutio;

Resp. dist. ant. Creatura est effectus voluntatis Dei liberæ, inadæquate acceptæ & pro actu in Deo permanente,

pro quo supponit, concedo: adæquate, & acceptæ etiam pro termino quem connotat, nego. Non sequitur, creatura dependet à libera Dei voluntate, & est effectus determinationis ipsius; igitur non constituit ulla ratione actum Dei liberum. Constitutiva enim per modum termini & connotati possunt à re quam constituunt vere ac proprie produci; & sat est, si hæc præsupponatur absolute & in seipsa considerata vel tempore, vel natura, vel origine sola præcedens. Nam Pater constituitur in esse patris per relationem ad Filium, & tamen Filius à Patre procedit & generatur. Secus dicendum est de constitutivis per modum *formæ* inhærentis. Verum istud in Deo constitutivum nullum est præter incommutabilem ejus substantiam.

Ex quibus plura fas est ad rem Theologicam conicere. Primum quidem, nullam esse in Deo intrinsicam indeterminationem; quæ cum sit irresoluti animi fluctuatio, & quædam suspensio nescientis quid sit eligendum, neque ad essentiam libertatis requiritur; neque potest cum perfectissima Dei scientia componi. Inferitur secundo nullam esse causam Voluntatis Divinæ, nisi prout causa accipitur lata quadam significatione pro suo termino, atque objecto; sicut nulla datur causa, nullamque principium divinitatis. Sequitur tertio non dari in Deo libertatem *contradictionis* in sensu, quo illam explicant complures Scholastici, id est voluntatem intrinsece suspensam ab omni actu *volitionis*, aut *nolitionis*, quorum neuter potest de novo incommutabili Deo contingere; dari tamen *contradictionis* libertatem, ut est potestas indifferens ad agendum vel non agendum, indifferentia spectata ex parte connotatorum; quæ cum ex dictis satis probari posse videantur, persequar deinceps Librum de Electione Sanctorum, quæ Divinæ Libertatis ac Providentiæ actus est singularis, atque præstantissimus.

14.
Tres sequelæ
statuuntur.

